

Viro Plurimum R. N. D. O. M.
Dissertatio Gradualis,
 Continuationem Disquisitionis
 De

Diversis modis tractandi Di-
sciplinam Moralem in Acade-
miis, Exhibens,

Quam

Consensu Ampl. Senatus Philosophici in Regia
 Academia Aboënsi

Præside

MAG. JOHANNE BILMARK,

Histor. ac Philos. Pract. Professore Reg. & Ordin.

Publico Examini modeste submittit

GUSTAVUS ASP,

Satacundensis.

In Auditorio Majori Die XIII Junii Anni R. S.
 MDCCLXXXIX.

Horis ante merid. consuetis.

Aboæ Typis Frenckellianis.

Viro Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,
Domino **ANDRÆ ASP**,
Pastori Ecclesiæ, quæ Deo in Karcku colligitur,
Meritissimo,

PATRI CARISSIMO,

Quam Frater meus dilectissimus incepit, sed ad aliam evocatus stationem, absolvere non potuit Disquisitionem de variis modis tractandi Disciplinam Moralem in Academiis, ego, argumenti præstantia allectus, continuavi, measque qualescunque lucubrationes Tibi, **PATER CARISSIME**, ob ingentia in me collata beneficia pietate, quæ ingenium decet filium, humillimus offero. Suscipias, enixe oro & obtestor, serena, ut affoles, fronte hoc munusculum, animi in Te gratissimi pignus, meumque Tibi placendi studium, quod certe est intensissimum, ne dedigneris. Ego vicissim ardentissimis Summum Numen defatigabo precibus, velit canis Tuis vigorem addere juvenilem, ut Ecclesiæ commodo, & omnium nostrum, qui Tui sumus, votis per longam annorum seriem sospes atque insolentis sufficias. Ita ex imo vovet pectore

PATRIS CARISSIMI

Filius obedientissimus

GUSTAVUS ASP.



§. X.

In scenam orbis eruditi prodiit deinceps Philosophia sic dicta Scholastica, eam in Scholis & Academiis nacla auctoritatem, ut illius Doctores prima utrobique tenerent subsellia, & amplissimis, quos excogitare potuit adulatio, insignirentur titulis. Fallitur autem quisquis crediderit, celebritati nominum paria fuisse horum Philosophorum in litteras merita. Dudum enim constitit, cardinem Philosophiæ Scholasticæ in eo potissimum verti, cum ut verus Sacrarum litterarum sensus ad Aristotelis placita accommodaretur, tum vicissim ut dogmata Stagiritæ non satis intellecta, ad Sacrum codicem inflecterentur, ac oborto quasi collo traherentur. Philosophiam Theoreticam in deliciis præcipue habuerunt Scholastici, sed qui ad moralia in Academiis proponenda aliquando sunt digressi; verum quum nulla certa disciplinæ moralis ponerent principia, sed hæc partim ex Scriptura Sacra, sæpe minus recte intellecta, partim ex jure Canonico & Civili, prout commodum ipsis visum fuit, desumerent, de moralitate actionum humanarum non potuerunt non parum sobrie ratiocinari, certitudine moralium in eorum scriptis regulam quandam Lesbiam æmulante. Præter hæc quum notionibus abstractis & universalibus præcipue occuparentur; Ethicam quoque tot barbaris deformarunt terminis, & vasta distinctionum nube adeo involverunt, ut, quæ ad humanitatem tota tendit disciplina, sub horum Doctorum auspiciis nihil cum genere humano commune habe-

habere videretur, sed habitum indueret plane Metaphysicum; quare etiam hanc Philosophiam famoso nomine appellarunt Metaphysicam. In Academiis admodum nota fuit hæc Philosophia sub patrocinio Hierarchiæ Pontificiæ, cui stabilendæ ex sua magnopere inserviebat natura, quippe quæ inter ignorantia tenebras & superstitionum præstigias increvit. Vinculis autem hominum intellectui ac conscientia injectis, per felicem & diu desideratam Ecclesiæ Christianæ reformationem disruptis, Philosophiæ Scholasticæ deformitas ac vanitas magis magisque apparuerunt, & cordati viri, in aliena jurare verba nescii, sensim animadverterunt, quod Philosophia sapius dicta traderet res nullius fere in vita communi usus, eruditionisque ita turbaret circulos, ut juvenes ex Scholis & Academiis, quæ bonarum litterarum ac virtutum constitutæ sunt officinæ, non tam exultam mentem atque emendatos mores, quam potius tortuosa ingenia atque pertinacem disputandi pruritus reportarent domum. Quam graviter Imperator Germaniæ MAXIMILIANUS I tulerit inobediam educationi suæ præfecti PETRI, postmodum Episcopi Neoburgensis facti, a quo ex sanguine tantummodo Philosophiam Scholasticam puer didicerat, forte fugit neminem. De Principe, ad humanitatis studia nato formatoque, Suetiæ Rege gl. in GUSTAVO ADOLPHO constat, quod per constitutiones Academiæ Upsaliensi datas, *Professoribus imprimis Philosophiæ injunxerit, ut disciplinas suas clare & perspicue, sine omnibus prorsus Scholasticorum perplexitatibus, Metaphysicisque speculationibus, tricis & subtilitatibus juventuti proponerent, inque eis tractandis ordinem & methodum Socraticam sive Ramæam accurate tenerent, nec a rebus ipsis unquam temere recederent.* Cui statuto ut majus adderet robur, publico edicto *omne Metaphysicæ studium cum Logicali vanitate ita ex suo regno*

regno exterminavit, ut nemo Bibliopolarum sub pena confiscationis tales libros importare, aut subditorum quispiam legere aut cognoscere auderet, ne nova barbarie regnum fascinaretur, aut ille in rebus gerendis disputatores & glossatores vanos pro negotiorum effectibus nancisceretur (a). Quum vero Eruditi in cœno Scholastico hæere nihilominus pergerent, Excellentissimus Regni Senator & Academiæ Upsaliensis Cancellarius &c. Perillustis Liber Baro D: nus JOHANNES SKYTTE, gravissimam in suarum Camenarum delubro die XIX Novembr. An. MDCXL orationem habuit Latinam, in qua juventutem Academicam a studio Metaphysicæ seu Philosophiæ Scholasticæ dehortatur, & contra ea Methodum commendat Socraticam (b). Quamvis autem scabiem Scholasticam acri satis lixiuio abstergere plures conarentur eruditi, factum tamen est, ut doctrina Scholastica in Academiis Patriæ nostræ diu viguerit, in Papisticis quibusdam nondum penitus exoleverit. Quid? Quod Philosophiam Scholasticam Moralem, promeritis involutam tenebris, in orbem litterarium post liminio revocare annis fuerit P. Anselmus DISING, Benedictinus congregationis Bavaricæ ex Monasterio Emsdorff, in *juris naturæ Larva, detracta compluribus libris sub titulo juris naturæ prodeuntibus &c* (c); in quo libro Hercules hic Monasterialis Viros Celeberrimos, nominatim PUFENDORFIUM, HFINECCIUM & WOLFIIUM, ut pygmæos despicit; quanto autem magis hic ingenii fortus suo placuit auctori, tanto minus aliis qui ultra Aristotelem & Scholasticos meliora sapere didicerunt, vehementer hic satisfacit disputator.

(a) Quum Regiam hanc constitutionem ex Johanne Angelio Werdenhagen citet Perillustis L. Baro JOH. SKYTTE (vid. NETTELBLADI *Schvedische Bibliotheck*

hec Pars IV p. 130), rerum a Rege GUSTAVO ADOLPHO gestarum optime gnarus; dubitari non potest, quin eadem publicata fuerit. Nominat quoque eandem REIMMANNUS in *Histor. Litterar. Tom. IV. p. m. 106. not. n.*

(b) Vid. Orationem hanc in *NETTELBLADI Libr. cit. p. 122 & seqq.*

(c) Prodiit hic liber Monachii an. MDCCLIII in folio.

§. XI.

Ad liberandas Masas a servitutis Scholasticæ jugo operam maximi momenti attulit FRANCISCUS BACO, Liber Baro de Verulamio, majori præditus judicio, quam ut in vaniloquentia Eruditorum sui ævi acquiesceret, & eminentiori positus honorum gradu, quam ut Scholasticorum, qui principatum in republica litteraria adhuc tenebant, extimesceret indignationem. Ipsi autem non erat propositum, juvenes, litteris operam navantes, docere, verum ipsis potius Doctoribus facem præferre, cujus ope & impedimenta, sibi in stadio eruditionis objecta, perumperent, & viam indagandæ veritatis invenirent aptissimam. Quid in Ethica præstiterit, commonstrant cum *Liber VII de dignitate & augmentis scientiarum, tum Sermones fideles Ethici, Politici & Oeconomici, sive interiora rerum*, ut alios ab ipso conscriptos tractatus reticeamus; quos qui pervolverit, facile animadvertet, quod rigorem methodi systematicæ non sequatur, sed cogitationes suas de rebus, ad Philosophiam pertinentibus, prout tulerit occasio, eo tamen, quo admodum polluit, judicio ac candore, aperiat.

§. XII.

Interjecto tempore HUGO GROTIUS, Belga, Virorum Illustrum commotus exhortationibus, cancellis *mediocritatis & undecim virtutum* ab Aristotele determinatis, egredi ausus, Philosophiam Moralem in eum redegit ordinem, ut Jurisprudentiæ naturalis Instaurator passim haberetur. Notissimus est ejus liber de *Jure Belli & Pacis*, in quo tam officia hominum, in diversis conditionum statibus, quam controversias inter Principes nec non inter alias aliasque Nationes sæpius agitatae, quæ frequentibus occasionem præbuerunt bellis, non ex jure Justiniano aut Canonico, sed ex principiis Juris Naturalis decidendas esse, docuit. Cautè admodum procedebat, & ne crabrones irritaret Scholasticos, qui multum adhuc tam in aulis, quam in Republica valebant Litteraria, ostendere nitebatur, se ab eorum placitis totum non abhorrire. Licet autem Grotius spartam, quam in se susceperat, ex multorum Eruditorum judicio exornaverit, disciplinam tamen Practicam, omnibus numeris absolutam, posteris non tradidit. Ut enim silentio præteream tam stili multis in locis obscuritatem, quam quod in belli magis, quam pacis, studia suum direxerit acumen, parum sollicitus fuisse videtur de genuinis suarum propositionum demonstrationibus adferendis, sed aliquid juris esse naturalis probaturus, ex seculi sui vitio nimis est operosus in conquirendis Auctorum, partim Græcorum, partim Latinorum testimoniis; quibus addo, quod lumen Revelatum ac Naturale ubique fere misceat. Receptus tamen plerisque in Academiis fuit hic Grotii liber, contigitque ei, quod pridem Aristoteli, ut disciplinæ Moralis Professores in opere de Jure belli & pacis interpretando atque explicando suam potissimum collocarent

earent operam, nucleum tanto melioris frugi inesse doctrinae Grotianae existimantes, quanto eam invenirent obscuriorem, paucique proinde essent, qui disciplinam, a Belgico propositam Philosopho, per culturam suae rationis provehere sint annisi. Papisticis haud acceptus fuit hic Liber, a sacra Indicis congregatione Romae an. 1627 in numerum prohibitorum librorum relatus. Neque enim, ut loquitur BOEHMERUS (a) *consultum videbatur aule Romanae, si scripturae hae pristinam reciperent integritatem, quia ita de potestate Cleri actum fuisse videbatur, qui se extulerat supra omnem potestatem, & novam ac plane monstruosam in singulis rebus publicis in ruditate seculi exstruxerat, ut non posset non e re aule Romanae esse, libros optimos suppressere & sedulo Laicis inculcare, rationem humanam captivam ducendam esse sub obedientia Ecclesiae Romanae.*

(a) Vid. *Ejusd. Jus Publicum Universale* p. 110.

§. XIII.

Quamvis Renatus DES CARTES seu CARTESIUS commendationem totius Philosophiae meditaretur; speculativis tamen & abstractis, non ut Scholastici antea fecerant, se potissimum tradidit disciplinis; quo factum est, ut in Philosophia Practica parum praestaret. Regulae ejus *Morales*, quas in *dissertatione de Methodo* legimus, peritum disciplinae Moralis doctorem non produnt: & liber, quem *de passionibus animae conscripsit*, ad Physiologiam potius, quam ad Philosophiam Moralem est referendus: quippe in quo, ut videtur, experiri voluit, an ex Physica defumi possent certa & evidencia in Moralibus principia. Hoc tamen Cartesii Schediasma gl. m. Reginae CHRISTIANAE adeo placuit, ut auctorem ab exilio Belgico in suam

voca-

vocaret aulam, nec dedignaretur, ab ipso in disciplinis quotidie instrui Philosophicis (a). In Academiis quoque praecipue Patriis caput magis magisque exseruit ejus Philosophia; renitentibus licet Theologis, qui Religioni Christianae valde metuebant, si Aristoteles Gallico cedere cogeretur Philosopho (b).

(a) Vid. *Eloge de Des Cartes par Mr. THOMAS* *bujus operum Tom. II. p. m. 172.*

(b) Vid. *Nob. LAGERBRINGS Samling af åtskilliga handlingar, &c. Andra Delen* p. 30 & seq.

§. XIV.

Expectationi eorum, qui absolutam magis, quam qua haecenus respublica litteraria gaudebat, doctrinam desiderabant Moralem, nondum vel per GROTII opus jam commemoratum, vel per THOMAE HOBBSII, Malmesburiensis, *Elementa de Cive*, ut alia, quae superiori seculo prodierunt Scripta Moralia reticeam, fuisse satisfactum, satis comprobant crebrae Virorum Illustrium Epistolae, quibus praestantissimos per Europam Philosophos excitabant, ut Jus Naturae & gentium in justae disciplinae formam elucubratum orbi exhiberent erudito. Tanto operi manum impiger admovit Academiae Lundensis Professor, SAMUEL PUFENDORFIUS, & in Philosophiae Moralis commodum scite convertit quicquid vel ad probationis nervum esset idoneum, vel ob sententiarum pondus haberetur elegans, quicquid tam ex Classicis collegerat Scriptoribus, quam in suis animadverterat Praedecessoribus, utrosque in campo, quem sibi sumserat emittendum, multis post se relinquens parasangis. Vix autem opus ejus de *Jure Naturae & Gentium* publicam ad pexerat

rat lucem, cum Lectores inveniret partim placidos, qui non minorem libri hujus soliditatem, quam stili elegantiam admirarentur, partim turbulentos, qui invidia œstro perciti, & Superos flectere & Acheronta movere tentarent, ut hunc Philosophiæ Moralis Doctorem, cujus industriam non possent adlequi, ingratis Musis omnibus opprimerent. In utroque suo opere, tam majori de *Jure Naturæ & gentium*, quam hujus compendio de *officio hominis & civis*, nec methodum Mathematicam, procul dubio ceu minus amœnam & paucorum Lectorum captui accommodatam, nec Grotianam adoptavit, sed facili ac plane naturali ratione, prout ipsa se excipere videbatur argumentorum series, Jurisprudentiam exposuit Naturalem. Et licet socialitatis culturam pro principio Juris Naturalis adsumisset, propositionem tamen hanc fundamentalem sequentibus suis parcius substernit probationibus, propiora principia pro argumentorum indole & re nata adsumens. Compendium modo nominatum per longum satis temporis intervallum aptissimum fuit habitum, quo tanquam filo quodam Ariadnæo uterentur Professores, juventutem Academicam ad solidam & in praxi utilem Philosophiæ Moralis cognitionem deducturi, multique fuerunt, qui illud suis illustrarunt commentariis.

§. XV.

In suis docuerant scriptis GROTIUS atque PUFENDORFIUS, egregias æquitatis regulas ac concinna morum præcepta in libris veterum Oratorum ac Poëtarum, Græcorum ac Romanorum, passim occurrere; quamobrem primipilorum istorum æmuli superioris ævi Philosophi, vetusta hæc sapientiæ scrinia sedulo perlustrare, nec solum consulere Aristotelem, instituerunt. Factum hinc

hinc est, ut disciplina Moralis methodo quidem plana & in usum legentium grata in Academiis traderetur; sed quæ tamen consistentiam sibi propriam, & certitudinem, in qua mens acquiescit humana, consequi non potuit; quum eruditi probationes dogmatum suorum allaturi, non tam principiorum rationis vel evidentiam vel legitimam sciscitarentur connexionem, quam potius centones sententiarum ex classicis sollicitè conquisitarum Auctoribus, quæ ex eorum æstimatione pondus & instar habebant, sollicitè proponerent.

§. XVI.

Post hæc magnam in Academiis nominis celebritatem cum ob aliarum scientiarum, tum imprimis ob Philosophiæ Moralis culturam nactus est CHRISTIANUS THOMASIVS, cujus placita magno a multis excepta fuerunt applausu. In tractatus sui de *Jurisprudentia Divina* Libro I. multam navavit operam, ut eorum retunderet tela, qui propositionem Juris Naturalis fundamentalem de socialitate colenda, a PUFENDORFIO explicatam, impugnare ausi fuerant. Majorem deinceps huic operi limam adhibens, edidit *Fundamenta Juris Naturæ & Gentium ex sensu communi deducta*, in quibus principia *Justi, honesti ac decori* probe distinguere allaboravit, & ad tenorem hujus distinctionis *Institutiones suas Jurisprudentiæ Divinæ* emendavit. Principio PUFENDORFII allato & a se probato arte adeo inhæsit, ut quæcunque ex eodem derivari non possent, ea Juris Naturæ esse intrepide negaret, intra orbitam Juris Naturalis proinde non admittens officia erga nosmet ipsos & qua partem officia erga Deum, commonstrans utraque horum ex alio derivanda esse fonte. Hoc tamen suo conatu magis, ut nobis

) 10 (

nobis videtur, principio Juris Naturalis, quam ipsi consuluit disciplina.

§. XVII.

Methodum Mathematicam tractandi disciplinam Moralem, in Academiis non quidem ignotam (a), attamen neglectam, in scenam Eruditorum magno apparatu produxit hujus seculi Philosophus, CHRISTIANUS WOLFIUS, qui totam Philosophiam methodo scientifica, sibi familiari, pertractavit, tantumque sibi applausum acquisivit, ut Philosophi, quotquot deinceps animum ad scribendum applicarent, solidi quid se præturos per plura diffiderent iustra, nisi eandem æmularentur philosophandi rationem. Quocirca tamen observamus, quod methodus sæpius nominata, prout a WOLFIO & hujus adflectis adhibetur, verbosiorum solummodo reddiderit Philosophiam Practicam, non ampliore, nedum solidiorem. Cumulantur enim propositiones propositionibus; quæ adeo sunt evidentes, ut de earum veritate nemo sanus facile dubitaret, æque operose interdum demonstrantur, ac quæ perplexæ censentur, continuæque fere repetitiones demonstrationum, vix parum dissimilium, nauseam haud mediocrem plerisque pariunt Lectoribus. Addo, quod exempla, quæ illustrationis gratia in subjunctis allegantur scholiis, pleraque sint desumpta a fictis personis, CAJO, TITIO, SEMPRONIO, quæ proinde Lectores vel ad sectandas virtutes, vel ad fugienda vitia parum movent; adeoque disciplina Moralis methodo WOLFIANA pertractata, Scholæ, quam vitæ, aptior erit censenda. Quare etiam WOLFIVS in justam magni Borussiae Regis gl. m. FRIDERICI II. incurrit censuram. Quum enim WOLFIVS summo hujus seculi Heroi

) 11 (

roi ac Principi sextum Juris Naturæ tomum, ipsi dictum, misisset, ipemque fecisset, alia adhuc volumina fore insecutura, Rex augustissimus scripta die 18 Junii 1746 epistola laudat quidem pertinacem Philosophi diligentiam, sed tamen ita concludit: *Ich finde Eure herausgegebenen Bücher gewiss recht schön, gelehre und solide, allein Ich leugne nicht, dass mir solche, nach dem Gebrauch und Nutzen der meisten Leser, etwas zu weitläufig und zu stark scheinen, und glaube Ich ihr könntet in kleinen Werken und mit weniger Worten die nöthigen Wahrheiten der Vernunft eben so gut zu erkennen geben, welches für den Leser vermutlich nach dem genie der meisten Menschen, angenehmer seyn würde* (b). Imo, nisi per externam methodi formam sibi imponi quis patiatur, certe majorem probandi vim scriptis WOLFIANIS, quam PUFENDORFIANIS & hujus sequacium inesse non admittet; alioquin controversiæ in Moralibus pridem agitatae, per novum disciplinæ inductum habitum sopitæ dudum fuissent; cujus contrarium Historia docet Litteraria. Ratio autem, quare in reliquis Philosophiæ partibus ad eum certitudinis gradum, quo disciplinæ eminent Mathematicæ, non perveniamus per methodum scientificam, est in propatulo; quum enim inter demonstrandi principia primo loco ponantur definitiones, quæ in Mathesi sunt adstricti adeo usus, ut qui a recepta terminorum significatione recesserit, parum sobrius habeatur; in reliquis vero Philosophiæ partibus definitiones nominales censeantur arbitrariæ; demonstrationes Geometricæ non possunt non prævalere eis, quæ in aliis occurrunt disciplinis. Nec in hac diversitate adstruenda, diversa ratio quantitatis Physicæ & Moralis videtur reticenda, illa enim, obvenit in materia sensibus obvia, qua fit, ut res ipsæ inter se comparari ac mensurari facile possint, hæc ex æstimatione En-

tium Intelligentium ac liberorum dependet, quare etiam de his anceps sæpe est iudicium. Sic proportionem inter magnitudinem duarum linearum, quisque cui sanus est visus, perspicit, non vero æque expeditum est singulis, quamlibet actionum humanarum aberrationem percipere; quod tamen certitudini disciplinæ moralis non officit, ut nec Geometriæ pretium imminuit curvitas linearum aut quantitatis variatio.

(a) Eruditorum animis diu inhæsit opinio, quod moralia ejus non essent indolis, ut in formam scientiæ possent reduci, cujus persuasionis duplex nobis obvenit causa, cum quod nulla demonstrationis vestigia in libris Ethicorum Aristotelis vel alius cujusdam veterum auctorum conspiciantur, tum quod Scholastici, Clero velificaturi Pontificio, aperte docerent, quod moralia demonstrationes non admitterent. Contra ea autem HERMANNUS CONRINGIUS in variis a se editis scriptis monuit, demonstrationes non minus in practica, quam in Theoretica, locum habere Philosophia; ipse autem manum tali non admovit operi. Paulo post ERHARDUS WEIGELIUS Mathematicum in Academia Jenensi Professor, *Ethicam Euclidean* a se nuncupatam edidit, tentaturus, an dogmata moralia possent methodo demonstrari Mathematica. Aliis vero districtus negotiis SAMUELEM PUFENDORFIUM, qui sua institutione ac contubernio tunc utebatur, cohortatus est ad capeffenda Juris Naturæ studia & methodum Mathematicam eis applicandam. Hic etiam an. 1660 edidit *Elementa Jurisprudentiæ Universalis*, methodo Mathematica a se consignata, quæ deinceps in altera eorundem editione Jenæ 1669 facta, auxit

appen-

appendice de *Sphæra Morali*, postea vero hanc methodum, ceu supra observavimus, deseruit.

(b) Vid. Svânka Mercurius pro an. 1756 Part. I. pag. 410, 411.

§. XVIII.

Alii præterea methodum ex rostris Academicis proponendi disciplinam Moralem adhibuerunt *Asceticam*; de condendis terminorum definitionibus ac concinnandis propositionum demonstrationibus non solliciti, potius in virtutum excellentia & utilitate commendanda toti occupati, ut gustum in suis auditoribus ita excitarent moralem, atque hos non modo doctiores, sed præcipue meliores, redderent. Methodum hanc Socraticam inter recentioris ævi Philosophos excoluit Cel. C. F. GELLERT in suis prælectionibus Moralibus, & quidem magno & applausu & successu. De hoc moralia docendi modo suam ita mentem explicat Auctor Libri, qui inscribitur: *Les Mœurs: La science des mœurs est de sa nature une science de sentiment; lors qu'il est question de corriger des cœurs gâtés, il vaut mieux toucher que plaie, convaincre meme n'est pas le point, dont il s'agit, vid. Præfationem libri nominati §. XI.*

§. XIX.

Præcipuos ita exposuimus modos, quibus Philosophi disciplinam tractarunt Moralem, plures addituri observationes, si prolixiorum disquisitionem instituti pateretur ratio: coronidis tamen loco breviter dicemus, quomodo memorata disciplina optime, saltem ex nostra opinione, possit proponi. Quum Philosophia Moralis ex sua indole talia continere debeat dogmata, ex quibus moralitas actionum humanarum in casibus obviis clare patescit, propositiones singulæ idoneis ita muniendæ sunt proba-

B 3

tio-

tionibus, ut lectores veritatem earum non solum percipiant, sed insuper factorum cum suo statu, vel felici vel infelici, nexu excitati, nihil unquam eorum, quæ lex præcipit, intermittant, nec quidquam sibi permittant, quod rationi ac legi repugnet. Et quoniam primas ac præcipuas in demonstrando partes tenent definitiones, hæc ita sunt adornandæ, ut planæ sint ac communi loquendi usui convenient; alioquin facilis erit in controversias lapsus, a quibus modesta nostra ac pacifera disciplina profus abhorret. His annectenda sunt axiomata & experientia, utraque adeo plana & perspicua, ut rationi & sensui in nobis morali consentiant. Nec tamen, quod præclarum multi censent eruditi, in eo elaboremus, ut ex unica propositione fundamentali quævis resolvamus problemata, sed tot assumamus principia, quot subtracta requirat materia, modo sint genuina, evidentia ac domestica; diversa enim objecta unum non admittunt principium, diversus status diversas postulat regulas. Rejicit quidem hæc demonstrationum fundamenta MASCOVIUS, sed sufficienti non nixus ratione, dum ita scribit: *Frustra heic (in opere PUFENDORFANO) Geometrarum axiomata, theoremata & corollaria quæsieris; desunt enim hæc spinæ horto nostro, & cum eis, quicquid apud Geometras triste & aridum est, quorum loco omnia hic naturali pulcritudine enitescunt* (a). Sed de materia demonstrationum satis est dictum; quod ad formam attinet, certe methodus WOLFIANA nobis minus placet. Si enim artificis est, quod vulgo præcipitur, suam celare artem, Philosophus propositiones morales concinna adeo ratione probabit, ut naturalis cogitationum ordo & continuus earum nexus Lectorem delectent ac confirment peritum, nec imperito nauseam moveant. Stilum quoque adhibeat planum ac castigatum, nec subtilitatibus sive ontologicis sive Psychologicis sese immergat, memor, quod subtilia magis prodant ingenium inclarescendi cupidum, quam animum felicitatis aliorum promovendæ studiosum, nec non quod ea, quæ a captu lectorum sunt remota, confundant, plana autem & evidentia ad praxin deducant. Et ut paucis præcidam: si methodus scientifica WOLFIANA in disciplina adhibeatur morali, periculum est ne multi tam virtutem, quam Philosophiam morum propter vestitum, ejus pretium in laxitate potissimum consistit, admodum negligant. Forma igitur disciplinæ nostræ sit simplex, sed decora, non barbara, non pomposa, ut virtus mirabiles sui amores excitet, ejusque flammis si minus omnium, plerorumque tamen hominum, quod animitus vovemus, incallescant pectora.

(a) Vid. *Præfationem ad librum PUFENDORFII de jure naturæ & Gentium*, p. IX.